



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

De Diuite Epulone.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

cipium prædestinationis à me, sed à Patre. Itaque & prædestinatio, & quæ cum ea coniuncta sunt, & quæ consequuntur, mea non sunt, quia à Patre sunt, & mea sunt, quia à Patre ego accepi ab æterno ut mea sint. Quid ergo est; Sed quibus paratum est à Patre meo? Connexa videlicet illa sunt ex Patris æterna providentia, bonitate, & iustitia, prædestinatio, merita, præmium. Non separantur hæc, etiamsi prædestinatio præcedat & meritum & præmiū. Intelligite itaque quid petatis, non solum præmium petatis, sed in meritis confisite, & Dei adimplenda voluntate, reliqua à Patre sperate. Vos humilitati insisite, & præmiū tamen

si petatis, per hanc petite. Hanc doctrinam si sequamur fratres, fiet ut intelligamus in orationibus nostris, ubi dona à Deo petimus, ut non ad illa solum spectemus, sed ad media quibus illa scimus Deū velle concedere. Hæc cum fecerimus, tamen in humilitate & mortificatione consistamus cordis nostri, & toti illa absorbeamur petitione, fiat voluntas tua, Domine, sicut in celo: sicut tu vis. Nihil enim volumus, Domine, nisi ut adueniat Regnum tuum, & in omnibus sanctificetur nomen tuum, & fiat voluntas tua sicut in celo & in terra. Amen.

FERIA V. POST SECUNDAM DOMINICAM QVADRAGESIMÆ.

De diuite Epulone.

LVC. XVI.

ANNO XXXIII.

In xxxviij. imaginem adnotat iunctura.

xxxviij.

- A. IESVS in finibus Iudææ trans Iordanem, ubi hæc docuit. D. Demones auctores tante nequitia obsident carnationem & domum.
- B. Epulonis convivium splendidum, ipse indutus purpura & bysso &c. E. Lazarus ad ianuam diuitis iacentem vlcibus plenum nemo refecit, ne micis quidem &c.
- C. Symphoniaci psallunt ad epulas.

EVANGELIUM MISSÆ.

LVC. XVI.

IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlcibus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

ADNO-

ADNOTATIO.

A. IESVS in finibus Iudæe trans Iordanem, ubi hæc & alia multa docuit, circumstans discipuli.

B. Domus Epulonis opulenta; ipse indutus pretiosa veste e purpura & bysso, magnifica & delicia celebrat cum aequalibus conuiuium splendendum, multi occupati in ministerio mensæ, vna singulari nobilitate parata, offeruntur lauta atque opipara dapes, alie expediuntur.

C. Symphoniaci pueri psallunt ad mensam, cœnâ plena luxu atque omnium rerum profusione.

D. Demones auctores tanti imperantie

& nequitie circumvolant & obsidēt domum & excavationem Epulonis, illius luxurie & voracitatis sunt instigatores, gaudent eius flagitijs, simul obsident illius animam, ut in Infernum detrudatur.

E. Lazarus mendicus ad ianuam Epulonis ulceribus plenus iacet fame laborans; petit cupide de micis quæ e mensa diuitis excidebant, ut satiari liceat, nec quisquam illum exaudit, nullus quicquam illi erogat; miserantur tamen carnes quem homines reijciunt, solantur eius morbos, ulcera lingunt, & saluari salua imbuunt.

MEDITATIO.

Gaudemus vehementer in humilitate cordis nostri fratres, & exultemus in Christo IESV, qui nobis sua benignitate dedit ut simus pauperes. Paupertatē suscipiamus & amemus, & corde intimo amplectamur. Videte diuitē Epulonē, videte pauperē Lazarū, vtriusque vitā, vtriusque mortē contemnemur. O detestabilē & miserū diuīre! o amabilē & beatū pauperē! Illū in Inferno sepehant Damones terri, hunc læti portant Angeli in Abrahæ sinū. Et quid mirū si hoc exemplo paupertatē ornât Christus, qui se infinitū exemplū posuit paupertatis sectandæ? Propter nos enim egens factus est cum esset diues, ut sua inopia nos faceret opulentos. Et alia quidē inopia Christi, vbi nascitur, viuūt inter homines, patitur, moritur, summe sunt; sed quæ ex alia summa eius humilitate vim accipiunt & splendore: illa est paupertas quæ in vnione hypostatica verbi sui suscepit IESVS, vbi Deus factus est homo, id est vbi impassibilis, immortalis, infinita potentia, passibilis factus est, mortalis, debilis, imbecillus, fragilis. O immensam & ineffabilem paupertatē & humilitatē! ex hac enim alia sunt summa. Nam cur summa sunt paupertates nasci Christū, viuere inter homines, pati, mori tā abiectē, nisi quod illa sunt Dei per vnionem illam hypostaticā, & infinitam paupertatē? Sic potro fecit Deus, ut summā paupertatem eueheret in diuitias & opes immensas. Paupertate enim incarnationis, vitæ, & mortis suæ, mundū, infernum, peccatū, mortē superauit IESVS, & confecit mortalibus vitam sempiternā. Sed ad nos hanc parabolam conuertiamus, si paupertatē amamus fratres, non

illa solum vitemus quæ diuiti causa fuerunt æternæ mortis, nec ex animo nostro ea reijciamus solum quæ propter Christū reliquimus externa bona, & facultatē illam possidēdi, sed desiderium omne illorum, & illecebras extirpemus funditus, & simul eā omnia quæ paupertatē redolēt diligamus, sectemur, atque amplectamur. Diuitia sint nobis, contra quæ Epuloni, horrore vestitus vilitatē amemus, mēsa inops & ieiunia sit nobis in delicijs. Breuiter, nihil harum rerū cordi nostro hæreat. Neque tamē hīc consistamus, sed esuriē & sitim desideremus pati, ieiunia etiam, si liceat per obedientiā frequēter sentiamus. Certē in ieiunijs Ecclesiasticis esuriē & sitim exerceamus. Ad damus desiderium corporaliū afflictionū, has exerceamus: non enim negabunt nobis superiores flagellationū, si non quæ sæpe velimus, saltē aliquando vsum aliquem. His rebus nō solū pauperē Lazari amulabimur, sed Christi ipsius, qui pro nobis esuriit, sitiit, flagella acerbissima passus est. Hæc quæ hæctenus diximus bona sunt & vtilia; sed ne aliquo modo superbiæ afflatu inficiantur, addenda est illa paupertas spiritus, hoc est spiritualis humilitas, & cordis submissio: hæc enim cū illis Regnum cælorū nobis conciliabit in Christo, nō illud solū quod in cælis expectamus, sed quale hīc etiā sua benignitate comunicat bonus & sanctus IESVS, gustū scilicet aliquē & sensum cælestiū bonorū, & splendore suauem & lætum, qui subinde recurrat in animum nostrum & spiritum, ac confirmet perfectam in nobis paupertatem, & faciat ut loco rerum omnium sit nobis Christus IESVS. Amen.

Non potuit vna imagine depingi luxus Epulonis, mors tetra, & Infernus, propterea in tres imagines hæc distribuimus: superior vna est, sequuntur due.

L 3 EADEM